

1.  
2.  
3  
4  
5  
6  
7  
8



1729.

1. Ehrenhaus, Christianus Gollit : De matrimonio sacro  
feminarum seu masculinis simulato in dō.
2. Gellius, Joh. Constantinus : De venia aetatis
3. <sup>a. b.</sup> Lorenz, Antonius Josephus : De jure agnationis
4. <sup>11</sup> Loeschner, Christianus Wilhelmus : Ordinalis sine  
titulo, clericus protestantium collata, licita et  
utilis.
5. <sup>a. b.</sup> Reinhardt, Tob. Jac. : De eo, quod circa occu-  
pationem in bona feudalia iustum est. 2 Sept. 1729  
i. 1745.
6. Reinhardt, Tob. Jac. : De tutore effectus respectu  
tertii
7. Reinhardt, Tobias Jac. : De aere in donatione
8. Reinhardt, Tobias Jac. : De distinctione sponsationum  
in publica et clandestina

9. Reisharth, Tob. Tac.: De diverso foris secundum  
 jus civile et Germanicum iura.
10. Reisharth, Tob. Tac.: Dissertatio juridica inaus-  
 ritens quaestiones quasdam illustres tam in foro  
 quam cathedra discussas.
11. Reisharth, Tobias Tac.: De iis, quae nobis iuris  
 sunt.
12. Rohrmundt, Jo. Mich.: De testamento unica syllaba  
 composito et perfecto.
13. Rudingerus, Zach. Christianus: De aere praeterito  
 ad alimenta nepoti illegitimo praestando obstricto.
14. Streckler, Conradus Wilhelmus: De cessione  
 bonorum famam non suggillantem
15. Streckler, Conr. W. Mich.: De venditione necessaria

- 16. Stricker, Com. W. Salla: De conditionibus feudivae
- 17. Streit, Dr. Philippus, Facult. juris Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam Jacobi Henrici Wintzgeri invitatus)
- 18. Streit, Dr. Philippus, Facult. juris Decanus l. b. s.:  
(ad Disputationem in eam Dr. Caroli Reichelti invitatus)
- 19. Streit, Dr. Philippus, Facult. juris Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam Fracim Christiani Rüdingeri invitatus)
- 20. Streit, Dr. Philippus, Facult. juris Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam Joann Christiani König invitatus)
- 21. Streit, Dr. Philippus, Facult. juris Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam Alberti Christiani Ludwig invitatus)
- 22. Streit, Dr. Philippus, Facult. juris Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam Christiani Yollerti Wreschenf invitatus)



- 9 23. Tengell, Ernestus, Facult. juridicae . . . Prodecimus  
 . . . et lect. cursoriam . . . haecque finita dispo-  
 sitionem in auct. . . . a Joh. Constantino Gellio . . .  
 10. habundans inicitat.
24. Tengellius, Ernestus, : De decreto distributionis  
 11 in concursibus creditorum non nullibi recepto  
 25. Tengell, Ernestus, Facult. juridicae . . . Pro. decanus  
 12 et lect. curs. . . haecque finita Pro. inauguralium  
 a Christiano Wilh. Klaubart. . . debendas. . . in  
 13 ritat.
26. Tengellius, Ernestus, Facultat. juridicae . . . Pro. decanus  
 14 Programmata inauguralia, quae . . . inicitat. . . et Pro.  
 latiorum in auct. . . . a Christiano Wilhelmus Loescher  
 habundant.
27. Tengell, Ernestus : De jure prohibendi, quae civitates  
 Saxoniae utuntur.





1729, 56  
7  
TOBIAE IAC. REINHARTH,  
ICTI, SACR. PALAT. CAES. COMIT. IVRID. FACVLT. ASSESS.  
ET PROF. COD. PVBL. ORD. CIVITAT. SYNDIC.  
ET CONSVL.


---

DE EO,  
QVOD CIRCA  
EXECVTIONEM  
IN BONA FEVDALIA  
IVSTVM EST,

---

Oder:  
Von Vollstreckung der Hülfe  
in Lehn-Güther,

---



---

IENAE, REC. LITTERIS RITTERIANIS,  
M DCC XXXV.

TOBIAS FAC REINHART  
DEI...  
ET CONS...

DE BO...  
CIRCA  
EXECUTIONEM  
IN BONA FIDELIA  
PASTOR EST

von Hoff...  
in...



...  
M. DCC...



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. I. **N**emini licet sibi ipsi jus dicere, remque alteri per vim auferre.
- §. II. Idque in statu civili obtinet, quod secus in statu naturali.
- §. III. Omnis rei jurisve sui persecutio fieri debet per judicem quem ideo duo extrema cavere oportet.
- §. IV. Transitio ad thema Dissertationis, de officio judicis circa executionem in bona feudalia.
- §. V. Quae executio citra implorationem partium, & praexistens debitum liquidum fieri nequit.
- §. VI. Executionis in bona feudalia descriptio.
- §. VII. A creditore ipso nunquam invito debitore citra autoritatem judicis fieri potest, etiamsi ab hoc eidem talis licentia in instrumento ab initio concessa sit, quod secus, si debitor creditori non resistat.
- §. VIII. Notantur diversae sententiae COLERI, BRUNNEMANNI & MARTINI ad L. 3. C. de pignorib.
- §. IX. CARD. TVSCHII thesis: Possit judicem ex officio dare potestatem propria auctoritate possessionem fundi alieni ingrediendi pro executione, est contradictoria & falsa.
- §. X. Executio feudalis non nisi a Judice competente fieri potest.
- §. XI. Ratione executionis feudalis inter Dominum feudi & Judicem ordinarium distinguendum.
- §. XII. Si executio in feuda a Domino feudi, qui simul est Dominus territorialis vel Jurisdictionalis illius loci, ubi feudum situm est, expeditur, tam in fructus quam in ipsam substantiam feudi fieri potest.
- §. XIII. Juxta Ord. Proc. Recogn. t. 40. §. 1. ratione debiri mere allodialis, consensu Domini feudi non muniti, a Regimine illustri Electorali Sax. sine speciali praesentimento Potentissimi Domini feudi executio in ipsam substantiam feudi fieri non potest, quod quondam secus.

- § XIV. Dominus feudi invitus ad executionem in substantiam feudi faciendam ob debitum allodiale cogi non potest.
- § XV. In dubio indeterminata Domini declaratio de exequendo, in substantiam feudi directa esse presumitur.
- § XVI. Ratione debitorum feudalium, consensuque Domini feudi munitorum hic ad exequendum in ipsam substantiam invitus tenetur.
- § XVII. Dominus feudi superioritate territoriali vel jurisdictione ordinaria non gaudens intuitu feudi habet jurisdictionem feudalem; unde (1) potestas iudicandi in causis feudalibus (2) investiendi (3) servitia indicendi &c.
- § XVIII. Hec actio tamen est maxime limitata, hinc (1) non potest iudicare in causis non feudalibus.
- § XIX. Nec (2) Citationem immediate in alterius territorio infinuare valet.
- § XX. Multo minus (3) sententiam in causis etiam feudalibus, nedum non feudalibus latam, immediate potest exequi.
- § XXI. Etiam si pertinentia feudalia saltem in alieno territorio sint sita.
- § XXII. Iudex ordinarius feudi non Dominus executionem regulariter tantum in fructus expedit.
- § XXIII. Idem in feudo meri hereditario obtinet.
- § XXIV. Secus est, si Domini consensu expresso vel tacito debitum munitum sit.
- § XXV. Executori ordo & norma exequendi ad amissum sub pœna nullitatis est observanda.
- § XXVI. Post adjudicationem in foro Sax. Elect. resignatio Domini utilis est abrogata.
- § XXVII. Executio creditoribus prioribus non præjudicat.
- § XXVIII. & XXIX. Neque agnatis & simultanee investitis, in debitum non consentientibus.
- § XXX. Sed his feudum revocandi per actionem revocatoriam potestas competit, quæ ab actione ex Retractu & Jure Proximos feudali sollicitè est distinguenda.
- § XXXI. Conclusio.



§. I.



EMINEM per vim aut aliam facti viam sibi-  
metipsi jus dicere, atque rem, circa quam  
jus forsan habere præterdit, proprio ausu al-  
teri auferre licere, quin potius judicem adire,  
eumque, ut publica autoritate adversarium in  
ordinem redigat, ejusve contumaciam coërceat, implorare  
debere, ex variis Imperatorum Constitutionibus aliisve  
Legibus plus quam manifestum est. Audiamus inter cæte-  
ros Imp. MARCVM in L. 7. ff. ad L. Jul. de vi priv. quem  
non sine verborum gravitate ita rescriptisse legimus: *Tu  
vim putas esse solum, si homines vulnerentur? Vis est & tunc  
quoties quid id, quod deberi sibi putat, non per judicem repos-  
cit. Idcirco enim, inquit porro Imp. HONORIVS &  
THEODOSIVS L. Nullus 14. C. de Judeis, judiciorum vigor,  
jurisve publici tutela in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi  
permittere valeat ultionem.* Neque in solis ejusmodi pro-  
hibitionum terminis acquievissent Legislatores, quin potius  
gravissimas pœnas in illos qui contrarium facere auderent,  
ita, ut vel propria autoritate creditum a debitore per vim  
exigerent, vel rem, utut propriam non domino eriperent,  
statuissent, ex famosis textibus in L. extat 13. ff. quod met. &  
L. 7. C. unde Vi luculenter apparet, quorum usum fo-  
rensem ex Legibus Germanicis egregie illustratum dedit  
SCHILTERVS Exerc. ad ff. XI. §. 13. seqq. ad quem brevita-  
tis studio me remitto.

§. II.

Utut enim in *statu naturali* ob æqualitatem summam  
inter homines existentem aliud statuendum esse videatur,  
ita, ut, cum nemo alienarum actionum judex esse possit,  
quin potius cessante ibi imperio omnes ut pares tractandi  
sint,

sint, cuilibet jus competat, istud, quod sibi jure debetur, privata auctoritate etiã per vim ab altero invito extorquendi, eumque, qui me injuste læsit, non quidem, per modum *pæne*, quod putat GROTIUS, sed per modum *belli*, ad satisfactionem compellendi; Diversam tamen hominum in *statu adventitio s. Civili* constitutorum esse rationem, ex eo satis est liquidum: quod propter ordinem Imperantium & parentium, judiciorumque constitutionem exulet omnino absoluta ista inter omnes homines æqualitas libertasve, ita quidem, ut, quod in statu naturali licitum, in statu Civili, ob cessantem penitus rationem existat illicitum atque in crimen degeneret. Dn. BÖHMER. *Intrad. in Jus Publ. univ. Part. Spec. L. 2. cap. 7. tit. 5. §. 11.* Hinc præclare CICERO *Lib. III. de Legib. Nihil, inquit, civitati exitiosius, nihil tam contrarium juri & Legibus, nihil minus civile & humanum, quam composita & constituta Republica quicquam agi per vim.*

### §. III.

Ex quo vero, constitutis in statu Civili judiciis, introductove Imperantium & parentium ordine, nemo ad juris sui reique consecutionem, nisi per judicem, venire potest, ex ipsa recta ratione colligi poterit, duo potissimum extrema judici cane pejus & angue esse cavenda. *Primum* est, ne ab executione omiſſa causæ cognitione processum inchoet, *alterum* vero, ne causa satis cognita & decisa sententiæ suæ executionem victori deneget, vel ultra nō odum retardet. Sicut enim si in posterius prolabitur divexare saltem partes dicitur, juxta illud vulgi dicterium: quod ex ZAHNII *Ichnographia municip. cap. 37. n. 64.* refert Ill. HERTIVS *Consil. 101. n. 7.* Statuiren, und nicht exequiren, heisset nur die Leute vexiren. Ita econtra Judex executionem præposterans atque ab illa processum inchoans spoliator existit, juxta textum notabilem in *Cap. Conquerente 7. X. de Restitut. Spoliator.* cujus consequens est, ut ad rei plenariam restitutionem cum damnorum & expensarum refusione parti læsæ ante omnia teneatur, de quo GAIL.  
L. 2.

L. 2. obf. 76. & CARPZOV. *Lib. I. Resp. n.* Legi merentur, idque simpliciter ita obtinere existimo, siue iudex ex proprio privato suo Interesse ad executionem inique contra partem processerit, & ita non tam qua iudex, sed qua privatus spoliaverit, ad quem casum collimare videtur præjudicium apud CARPZ. *Lib. I. Resp. XI. tit. 1. n. 16.* siue ut solus iudex citra proprium commodum tale quid fecerit; nam parem in utroque casu militare rationem recte asseri satisque probari a CARPZOV. *cit. Resp. XI. n. 6.* existimo, nec esse satis causæ, ut allegatum textum in *Cap. 7. X. de Restit. Spoliar.* cum B. ZIEGLERO in *Prælect. Decret. ad dict. cap.* ad priorem saltem casum, quando iudex ut privatus ob proprium, quod forsitan ex causa habet Interesse, ita processerit, restringamus, tuto affirmare non dubito, de quo legi merentur, quæ ex instituto in *Dissert. Inaugurali* ANT. BROHMI huc Erford. M DCC XVIII. de *Judice Spoliatore* habita ad prælaudatum Juris Canonici textum fuere tradita.

§. IV.

Quandoquidem vero partes iudicis non minus in cognoscendo & iudicando, quam in exequendo consistunt, in singulis ut æqualem sollicitudinem & diligentiam adhibeat, officium, quo fungitur, omnino exigit. De prioribus autem ut nunc agam instituti mei non fert ratio; neque, de ultima quæ circa ipsam sententiæ executionem sese exerit, adeo late me extendam, ut quicquid circa eam generatim juris sit, jamjam discutiam; Sed hoc saltem in præsentiarum agam, ut speciminis inauguralis loco, an & quatenus executio in bona feudalia ob debitum siue allodiale siue feudale tam in foris Juris Communis quam Saxonice, iisque vel Electoralibus aut Communibus a Iudice rite decerni fierique valeat, vel non valeat? succincta brevitate speciatim ostendam.

§. V.

Ante omnia autem ad hoc, ut executio in bona feudalia decerni fierique queat, non tantum debitum quod vel

vel ex Judicato vel confessione debitoris legitima est liquidum, sed etiam ut creditor executionem speciatim urferit vel petierit, supponendum est. Sicut enim in casu non existentis debiti ita liquidi, executio ne quidem in allodialia bona fieri, ita multo minus ex officio, creditore vel ejus procuratore speciali mandato instructo non petente, a iudice utut competente decerni peragique poterit; solius enim creditoris interesse actus executionis respicit, adeoque ad officium iudicis suppletorium regulariter non pertinet, *arg. L. 4. §. 8. ff. de damno infect.* id quod manifeste ex ipsis O. J. S. R. verbis §. 1. tit. 39. colligitur, ibi: *So bald ein Urthel, oder Abschied seine Rechts-Kraft erlangt, soll auf Ansuchen des obsiegenden Theils wider den Gegner ohngesäumt mit der Hülfe verfahren werden.* Unde apparet, sine sufficiente causa *VULTEJVM L. 2. Cap. 4. de iudiciis, quem sequi videtur ZAVNSCHLIFFER de Off. Judic. suppletor. P. 2. Concl. XVI. §. 1. p. 122. pupugisse BARTOLVM*, quod hic ad *L. 1. C. de Except. rei judic.* executionem sine pravia imploratione a iudice posse, concedere noluerit.

#### §. VI.

Quod jam executionem ipsam in bona feudalia attinet, illam sic describendam esse existimo, quod sit *actus iudiciarius, quo Vasallus invitus ad satisfactionem creditori præstandam ita compellitur, ut vel ex substantia feudi, vel fructibus feudalibus solutio præstari debeat.*

#### §. VII.

Eo ipso autem, quo per *actum iudiciarium*, quo creditori invito Vasallo satisfieri debet, executionem feudalem descripsi, consequens est, per iudicem eam semper expediendam esse, nec creditori potestatem competere fundum feudalem propria autoritate invito Vasallo propter debitum ingrediendi, possessionemque apprehendi, etiamsi in instrumento obligationis creditori ejusmodi facultas expresse concessa fuerit. Ejusmodi enim clausula hoc



hoc saltem operatur, ut *volente debitore & non reluctante* creditor vi conventionis feudum oppignorum citra auctoritatem judicis occupare queat, qualem sic impetratam possessionem cæteris paribus, pro vitiosa haberi non posse ex *L. 11. C. de pignor. act. & L. 3. C. de pignor. satis* apparere existimo cum STRUVIO in *S. J. C. Exercit. 26. th. 41.* & SCHWENDENDÖRFFERO ad *EKKOLTVM tit. ff. de pignor. §. 5. voc. propria auctoritate*; cum dicta *L. 3. auctoritatem judicis in exequendo ejusmodi pacto tum demum de necessitate requirat*, quando debitor vel verbis vel factis creditori ingredi volenti reluctatur, STRAVCH *Disput. ad ff. 13. Aph. 18.* idque sive debitor sive tertius fundum possideat. CARPZOV. *L. 1. Resp. 5.* cum omnis occupatio privata auctoritate invito possessore sit prohibita, *Rec. 7. de An. 1600. §. 31.* verb. durch Unser Kayserl. Cammer & Gericht. Nec quicquam textum *II. Feud. 22.* heic obstare existimo; Verba enim: *poterit eum depredare* Neutiquam de potestate, Vasallum Contumacem propria auctoritate pradio exuendi cum HOTOMANNO in *L. II. f. 22. verb. poterit.* interpretanda, sed ita intelligenda esse, ut judicis factum non excludatur, recte ex aliis Juris feudalis textibus probavit Dn. DE ZECH, in *Dissert. erudita de Vi superioritatis territorialis &c. §. 42. Lipsiæ M DCC XII.* habita.

§. VIII.

Qua distinctione adhibita non est, ut vel ex una parte cum COLERO *de Proc. Execut. P. I. cap. 5. n. 88.* & aliis citati textus in *L. 3. C. de pignor.* verba finalia: *arriamen auctoritate presidis possessionem adipisci debent &c.* de sola urbanitate contra sensum literalem & genuinum, nec non contra vim particulæ: *Debent*, quæ necessitatem semper denotat, detorqueamus, vel ex altera parte cum BRVNEMANNO *ad dict. text. n. 5.* MARTINI *ad Process. Sax. t. 39. §. 1. n. 129.* aliisve, ejusmodi pactum pro tali, quod contra bonos mores, adeoque semper invalidum & nullum est, declaremus. Eo ipso enim, cum debitor vi ejusmodi

modi conventionis executioni non resistit, quin potius creditori possessionem fundi ipse sponte concedit, nulla injuria eidem volenti infligitur, neque tumultus, rixæ vel homicidia metuenda, ac per consequens nihil turpitudinis tali pacto in se inesse dici poterit.

## §. IX.

Sed neque hoc capere possum, quod ex CARD. TVSCHIO *Lib. I. Concl. 395. n. 29.* refert Dn. ZAVNSCHLIFER *Tr. de offic. Jud. suppletorio*, scil. posse IUDICEM EX OFFICIO dare potestatem PROPRIA AVTORITYTE possessionem fundi alieni pro executione sibi debita ingrediendi. Ex duplici quippe capite thesin hancce falsam esse, existimo. *Primo* enim iudicem ex officio suppletorio ipsam executionem regulariter decernere non posse, supra §. V. jam tum dedi assertum atque probatum; cujus necessarium consequens est, multo minus ab ipso *ex officio* privatam occupationem fundi alieni creditori pro executione indulgeri posse. *Secundo* manifestam contradictionem dicta thesis TVSCHII in se continet; propria enim & iudicis autoritate simul fundum alienum ingredi, aperte implicat.

## §. X.

Hoc porro albo lapillo notandum: omnem executionem & sic quoque illam, quæ fit in bona feudalia ab *incompetente iudice*, qualis in ordine ad exequendum is est, sub cujus jurisdictione bona, in quæ executio peragenda, non sunt sita, factam, effective pro tali esse habendam, quæ privatim a privato facta, consequenter pro spolio, & ipso jure nulla existimanda, per *Rec. Imper. de A. 1600. §. 32. arg. L. 5. C. de Jure Fisci. KLOCK. Consil. 99. n. 47. §. 3.* Ex quo porro consequitur, quod ejusmodi debitori res cum omni causa ante omnia sit restituenda *L. 6. §. 1. C. unde Vi.*

## §. XI.

Ut autem constet, quis in executione in res feudales mediatas scil. (nam de immediatis & Imperii feudis im-

præ-

praesentiarum non est sermo) expedienda, sit iudex competens, & in quantum illa de jure & legitime fieri queat, sollicitè distinguendum esse existimo: Utrum ejusmodi executio ab ipso Domino feudi, vel a solo Iudice directum dominium in feudo non habente, a creditore contra Vasallum petatur? Priori casu iterum dispiciendum puto: an Dominus feudi insimul sit Dominus territorialis, vel saltem Jurisdictionalis illius loci, ubi feudum situm est, aut non sit?

§. XII.

Quodsi itaque executio in pradia feudalia ab ipso Domino feudi, eoque qui insimul jura superioritatis vel saltem ordinariam Jurisdictionem illius loci, ubi feudum situm, exercet, petatur, nullum dubium quin in arbitrio ejus sit, executionem immediate non solum in fructus, sed quoque ipsam feudi substantiam & utile dominium ad instantiam creditoris expediendi, idque citra distinctionem, utrum debitum, propter quod petita fuit executio, feudale, vel non feudale s. allodiale fuerit; argumento eorum, quæ II. P. 39. & 55. jure Longobardico sunt disposita; siquidem ejusmodi executio in feudum ipsam involvit alienationem, quam indistinctè Dominum feudi concedere posse ex cit. text. in II. P. 55. constat. Idem quoque Jure Sax. Elector. obtinere ex ORDINAT. PROC. Tit. XL. §. 1. apparet.

§. XIII.

Ubi tamen secundum ORDINAT. RECOGNIT. ad dict. tit. XL. §. 1. p. 229. cum abrogatione expressa eorum, quæ in Veteri PROCESS. ORDINAT. d. iii. §. 1. Darum wollen wir etc. fuere disposita, specialiter est constitutum, ut in casu, quo ab illustri Regimine Electorali Dresdensi executio ob debita non feudalia, sed mere allodialia, ob quæ feudum cum consensu Domini legitime non est oppignoratum, petitur, hoc sine speciali praescripto & consensu ipsius Potentissimi Regis & Electoris qua Domini directi,

directi, executionem in ipsam substantiam feudi & utile Dominium mandare & expedire, ut antea pro arbitrio fieri poterat, jam non possit, sed in solos fructus feudales, executio, si quam mandare vult Regimen, fieri debeat; quodsi vero ratione debitorum feudaliu consensus Domini directi & hypotheca feudali munitorum executio urgeatur, secus se res habet, ob ejusmodi enim debita & ex parte praelaudati Regiminis sine speciali consensu Regis ad instantiam creditorum executionem in ipsam feudi substantiam adhuc hodie fieri posse, aperta verba dictæ ORDINAT. RECOGN. condocent: Wegen derer Schulden aber, so mit Lehnherrlichen Consens auf ein Lehn-Guth versichert sind, wird denen Gläubigern nicht nur in die fructus, sondern auf deren Verlangen auch in die substanz des feudi verholffen etc.

## §. XIV.

Ex quo vero libertati ejusmodi Domini directi relatum esse diximus, vel in ipsam substantiam & utile dominium feudi, etiam ob debita non feudalia extendendi executionem, nullatenus sequitur: eundem invitum ad hoc cogi posse; dict. §. 1. *Ordin. Proc. Elect.* verb. Denn so wenig als er wider seinen Willen gedrungen werden kan, der Schulden halber, so mit seiner Bewilligung auf das Lehn nicht versichert, dem Gläubiger weiter als in die Früchte zu verholffen, so wenig sind ihm auch die Hände gebunden, daß er krafft seiner Jurisdiction, die er auf den Lehn hat, nicht zu dem Eigenthum des Lehns verholffen könnte etc. Ratio est in promptu: Dominus enim executionem in substantiam feudi expediens, alienationem, in quam eo ipso consentit, intendit; atqui ut in alienationem feudi invitus consentiat, cogi nequit *II. F. 55.* Ergo nec ad executionem in ejus substantiam. Rationem rationis si audire velis, accipe hanc: Ne, si ad hoc invitus adigi posset, Vasallus contrahendo as alienum pro arbitrio alienationi causam præbere queat, eoque ipso Domino præter voluntatem Vasallum, minus ipsi probatum obtinere, contra manifestam Juris Feud. dispositionem, quæ

extat

extat II. F. 55. FRÄNZK. Lib. III. Resol. 8. n. 1. CARPZ. Lib. VI. Resp. 74. n. 14.

§. XV.

Hoc tamen certum, Dominum directum, si paulo obscurius, aut nimis generaliter executionem in feudum imperet, nec expresse diserteque declaret, utrum in substantiam feudi vel saltem fructus eam consummari velit, illam neutiquam ad fructus restrinxisse, quin potius ad feudum ipsum in dubio extendisse videri, atque ipso jure præsumi, quod creditori jus reale non solum in fructibus, sed etiam ipso feudo per executionem dederit. Dominus enim ad petitionem creditoris generaliter & indefinite respondendo, in id, quod petit, consensisse, taleque jus concessisse creditur, quod ejus potestati & Jurisdictioni feudali est conveniens, cum sibi imputare debeat, quod clarius intentionem suam non expresserit. STRUV. S. J. F. cap. 14. th. 32. ORD. PROC. ELECT. T. 40. §. 1.

§. XVI.

Notanter vero supra §. XIV. assertum dedi: Dominum directum ad executionem in substantiam feudi ob *debita non feudalia, sed mere allodialia & consensu ejusdem non munita* decernendam, invitum cogi non posse. Secus enim esse in executione *ob debita feudalia, consensuque Domini munita*, ita, ut Dominus nolens volens in executionem & distractionem feudi oppignorati consentire debeat, atque ad consentiendum jure adigi queat, apud omnes in confesso est, STRUV. S. J. F. cap. 14. th. 31. RICHTER *de privileg. Credit. C. 4. §. 3. n. 52.* CARPZ. *de oner. Vassall. feud. Decad. 5. posit. 1. n. 50. seqq.* nec quicquam refert, utrum consensus Domini oppignorationem præcesserit, vel post eam per modum ratihabitionis supervenerit; retrorahî enim ejusmodi ratihabitionem, idemque esse, ac si ab initio Dominus consensisset, MÏNSINGERVS *Cent. IV. obs. 87. n. 6.* recte docuit, ac extra omnem pugnam esse, testatus est. Ratio genuina hujus theses in ipso textu ORDINAT.

PROC. ELECT. SAX. *cit. tit. 40. §. 2.* exprimitur: scilicet quod creditor tali casu executione sua non novum jus in feudo quarat, sed illi, quod jam tum acquisivit, coram competente judice saltem insistit, illudque persequitur, imo domino directo in oppignorationem ab initio consentienti, postea vero executionem impedire volenti, obstat Canon Juris pervulgatus: quæ ab initio sunt voluntatis, postea fiunt necessitatis, & qui concessit antecedens, concedere etiam nolens volens debet consequens.

## §. XVII.

Hæcque ita obtinent, si Dominus directus insuper ratione feudi jura habeat territorialia vel jurisdictionalia; Jam videbimus, quid altero casu juris sit, si Dominus directus ratione feudi, neque sit dominus territorii, neque jurisdictione ordinaria, sed solo dominio directo in alterius territorio vel jurisdictione siti gaudeat? Hoc quidem negari non potest, ejusmodi dominium directum intuitu feudi quocunque loco siti jurisdictione quadam gaudere ita, ut (1) cum Paribus Curie in Controversiis & causis mere feudalibus, quales demum sunt, quæ inter duas pluresve personas qualitate feudali in eadem Curia præditas, de re factove feudali ventilantur, *II. F. 55. §. fin.* juncto *II. F. 15.* vid. *ETBEN. Dissert. de Caus. Feud. sect. 5. §. 4. p. 697.* iudicium formare, cognoscere & decidere queat, *HORN. Jurispr. Feud. cap. 25. §. 3. & 4.* nec non jubere, ut rei judicatae obtemperetur, sub comminatione amissionis feudi *II. F. 22. 24. §. fin.* Neque (2) potestas eidem deneganda arrestum ratione ejusmodi feudi in alieno territorio siti, ad instantiam creditorum ad effectum consequendi pignus pratorium, s. jus reale, decernendi, prout recte in terminis Scabinos Liplienses *d. 15. Decembr. 1659.* pro validitate ejusmodi arresti pronunciaisse retulit *SCHILTER. Exerc. ad ff. 46. §. 16.* idem sentiente *CARPZOVIO in Proc. tit. 21. Art. 3. §. 8. n. 61. seq.* addita ratione decidendi haud incongrua: Quod arrestum jus & effectum pignoris tribuat.

buat. Idem CARPZOV. *tit. 21. Art. 3. §. 2. n. 8. seqq.* jam vero nullam oppignorationem absque approbatione & consensu Domini directi validam, contra vero a iudice, qui dominus feudi non est, impetratam, omnino inefficacem esse per *Cap. Imperialem tit. 55. II. F. de prohibita feudi alienatione* & GLOSS. in *Lehn-Recht Cap. 55. num. 6.* Multo vero magis (3) illa exercere efficaciter poterit, quæ non tam ab ejus potestate judiciali, quam potius extrajudiciali, atque ipsa indole feudi principaliter pendent, nec domini territorii jura ullatenus infringunt, veluti cum investituram feudi vel simultaneam concedit vel renovat, servitia indicit, wenn er die Ritter- und Lehn-Pferde aufbietet, feudi qualitatem in sui præjudicium immutat, atque ex masculino fœmininum, vel ex pacto & providentia tali, hæreditarium conficit, jus testandi indulget, similiaque justo moderatoque arbitrio peragit expeditque *II. F. 26. §. licet. 55. fin. Dn. DE ZECH. in Dissertat. de Vi superioritatis territorialis &c. sub præsidio B. Dn. MENCKENII, Lipsiæ Anno 1712. habita. ET BEN. Dissertat. de Caus. Feudal. Sect. V. §. 4. p. 667.*

§. XVIII.

Verum enim vero, quemadmodum talismodi domini directi Jurisdictio feudalis limitata saltem est, & jurisdictioni generali ordinariæ ex pactis & consuetudine superinducta, consequenter strictæ interpretationis B. Dn. MENCKE *tr. Synops. Proc. tit. 40. §. 3. p. 163.* ita effectus intuitu feudi in alieno territorio siti sese (1) nullatenus eo extendit, ut feudi dominus de causis non feudaliibus utut feudum indirecte tangentibus, cognoscere, & decidere queat; Causa autem pro non feudali active & passive toties habenda, quoties illa inter Vasallum & extraneum in nexu feudali non constitutum vertitur arg. *I. F. 10. SCHWANEMANN. Obs. Cam. Obs. II. n. 11. HORN. Jurispr. feudal. cap. 25. §. 1.* Ex quo fundamento recte inferitur: quod si de juribus subditorum Vasalli inter huic & illos

v. g.

v. g. ratione juris pascendi, operarum, aliarumve servitutum juriumque particularium prædiorum feudalium controversitur, causam pro feudali, Domini directi Jurisdictioni sive in cognoscendo sive exequendo obnoxia, haberi non posse. Dn. DE ZECH. *supra cit. Dissert. de Vi superioritatis territ. §. 40.* Multo minus pro feudali causa æstimanda, si a creditore Vasallus ratione debiti, pro quo fundus feudalis cum Domini consensu est oppignoratus, convenitur, immisissioque petitur. B. MENCKE *tr. ad Proc. cit. r. 40. §. 3.*

## §. XIX.

Neque (2) Jurisdictio Domini directi ratione feudi in alieno territorio siti quoad causas vere feudales adeo latius se diffundit, ut in alieno territorio *immediate* sicut in cognoscendo & judicando, ita & in exequendo, exerceri queat. Nam ipsa recta ratio dicitur; superioritatem territorialem ejusmodi Jurisdictionem feudalem summopere temperare & restringere. Ut jam LL. Imperii fundamentales taceam, quibus expresse cautum, ne sub prætextu Domini directi *der Lehns-Herrschaft*, quisquam ab imperio Domini territorialis eximatur. CAPIT. LEOPOLD. *art. 3.* CAROL. VI. *art. 15.* REC. IMP. *de Anno 1054. §. 104.* Proinde, nisi aliud observantia introductum esse, ex parte Domini feudi liquido doceri queat, vix erit, ut Vasallum ratione feudi in alieno territorio *immediate* & absque prævia requisitione judicis ordinarii citare, citationemque eidem insinuare queat, idque ad exemplum aliorum judicum diversæ jurisdictionis sive secularis sive ecclesiasticæ. *arg. L. 1. §. 2. ff. de requir. reis, & absent. damnand. Nov. 134. cap. 5.* FRIDER. A SANDE in *Consuetud. feud. Geldr. tr. 3. §. 3. n. 9.* Ut enim meris notificationibus aut denunciationibus uti, eidem non denegandum, diversum tamen ratione citationum ex eo statuendum esse existimo, quod hæc jurisdictionem in loco insinuationis, nunquam non præsupponunt.

## §. XX.



Ex quo jam manifestum est, quod, quotiescunque executio in causis mere feudalibus etiam ratione sententia ad privationem feudi in alieno territorio siti, tendentis, peragenda, illam a Domino feudi nunquam immediate peragi posse, sed semper competentis iudicis istius loci requisitione subsidiaria opus esse. *arg. u. F. 22. §. 3. verb. ad majorem iudicem C. de iudic.* Jus enim exequendi semper superioritatis territorialis pars est, quæ habet vim justam & coactivam conjunctam, quæ nemini in alterius territorio competere potest. SCHILTER. *Execr. ad ff. 46. §. 16. §. 17.* ubi Scabinorum Lipsiensium elegans adduxit præjudicium, sequentis tenoris: Zum (2) und auf die andere Frage sprechen wir: Ob ihr wohl in denen Gedanken begriffen, daß weil der Lehn-Herr, in denen Sachen, so die Natur und Substanz des feudi betreffen, seine eigene Jurisdiction hat, und von denenselben alleine cognosciren kan, daß er auch ohnersuchet des iudicis ordinarii in sein Lehn-Stück die Execution vollstrecken könne, wenn auch gleich dasselbe in einem andern Territorio gelegen; Dies weil aber dennoch der Lehn-Herr in eines andern Territorio wider desselben willen keine Execution vollstrecken kan, sondern bewährter Rechts-Lehrer Meynung nach, den iudicem ordinarium durch requisitoriales erst darum ersuchen muß etc. So mag auch im gegenwärtigen Falle die execution in feudi substantiam von dem Lehn-Herrn vor sich selbst, ohne Zuthun des iudicis ordinarii nicht vollstrect werden. W. D. W.

§. XXI.

Quid vero, si feudum ipsum sub Domini feudi jurisdictione situm, quædam tamen ejus pertinentia in alieno constituta reperiantur territorio? Ne tunc quidem ratione horum pertinentium executionem immediate a Domino feudi citra requisitionem iudicis, cujus jurisdictioni pertinentia feudalia subsunt, fieri posse cum SCHIL-

C  
TERO

TERO *dict. Exercit. §. 17.* existimo. Ad rationem enim dubitandi, a continentia causa desumptum, vigore cujus causa feudi principalis ad suum forum regulariter trahit causam minus principalem sive accessoriam, solide respondit idem SCHILTERVS, quod toties cesset, quoties res non sub ejusdem superioris jurisdictione sita sit, ita, ut tali casu continentia optimo jure dividi, & utcumque judicem adire oporteat. P. FRIDER. *de Continent. C. 3. n. 8.* Hoc tamen certum, judicem loci ubi feudum situm, si fuerit ad exequendum a Domino feudi requisitus, promptum auxilium eo magis prestare debere, quo certius, quod in casu denegationis querela super denegata justitia locum obtineat, ac mandatis poenalisibus, de exequendo judicatum, locum faciat. Id SCHILTER c. l. Dn. DE ZECH, saepe citat. *Dissertat. de Vi Superioritatis territor. §. 42.*

## §. XXII.

Atque hæc de Domino feudi Jurisdictione distituto, dicta sunt. Jam *Judicem ordinarium, feudi non Dominum* quod attinet, illum *regulariter* non in ipsam feudi substantiam, sed saltem in *fructus & commoditates feudi* executionem expedire posse, tam ex Jure Longobardico *II. F. 45.* quam jure Germanico, per *Ord. Cam. P. 2. t. 9. §. 2. P. 3. t. 48. §. 5.* præsertim Jure Saxonico, per *Ord. Proc. Electoral. tit. 40. §. 1.* apertum est. Ratio est in promptu, quia fructus non sunt res feudales, sed allodiales, de quibus sicut Vasallo libera disponendi, ita & ordinario judici, sine consensu Domini feudi, potestas exequendi optimo jure competit. *arg. n. f. 45. STRUV. S. J. F. c. 12. §. 7. n. 4. ROSENTHAL de feud. cap. 9. Conclus. 16. n. 7.* Contra vero, quo minus in ipsam feudi substantiam executio peragi possit, dominium utile & restrictum Vasallo competens dominium vero directum Domino remanens, impedit; Domino enim directo invito novum obtrudere Vasallum extra Vasalli arbitrium positum est. *II. F. §. rei quid ergo.*

## §. XXIII.

Atque hæc ipsa ratio efficit, ut neque in feudo mere hereditario in ejus substantiam executio a iudice ordinario cum effectu fieri valeat; In hoc enim feudo idem nexus domini directi & utilis ac in aliis feudis, ac per consequens etiam eadem prohibita alienandi licentia dominium utile, dominoque directo præjudicandi potestas, superest. Anomalia enim ejusmodi feudi hereditarii, qua ab aliis feudis deflectit, & naturam allodialium quodammodo induit, ad materiam successionis saltem pertinet, a quo tanquam a particulari ad universale valida non potest duci consequentia vid. textus *II. F. 48. 52. & 55. KÖPPEN Dec. 39. num. 20. & 21.* Neque porro & quo magis est, ipse Vasallus suo consensu vel conniventia efficere poterit, ut in ipsam substantiam feudi a tali iudice fiat executio. Consensu enim suo nec juri tertii nec dispositioni & normæ legis, ad quam in exequendo iudex sub poena nullitatis præcise adstrictus est, debitor præjudicare poterit *II. F. 24. §. 2. MARTINI Commentar. ad Ord. Proc. tit. 40. §. 1. num. 4.* Proinde si ita iudex ordinarius sine consensu domini executionem in ipsum feudum consentiente debitore, nihilominus peregerit, creditoremque immiserit, hunc, neque vivente Vasallo feudum, ob executionem nulliter factam, retinere posse; recte concludit B. MENCKE *ad dict. tit. 40. Ord. Proc. Sax. §. 1. in f.*

§. XXIV.

Significanter vero supra §. XXII. de Iudice ordinario dictum est: quod regulariter tantum in feudi fructus executionem peragere queat, & quod potissima ratio sit, ne Domino directo invito novus obtrudatur Vasallus. Ex quo fluit, quod toties iudici ordinario potestas in feudi substantiam exequendi competat, quoties vel de feudi Domini consensu expresso vel tacito constat. Hinc cum in casu, quo dominus directus in oppignorationem præ-

dii feudalis consensit, eo ipso quoque in ejus alienationem consensisse censetur iudicem loci ordinarium ad creditoris instantiam in ipsius feudi dominium utile executionem peragere posse, neque immissionis peculiari confirmatione a Domino feudi ipsi opus esse, ex eo apparet, quod ita novum jus in re, in præjudicium Domini feudi, creditori non constituatur, sed hic istud, quod legitime jam est constitutum, saltem persequatur. STRUV. S. F. F. cap. 14. §. 31. num. 2. Idem quoque obtinet, si executio propter debita feudo singulariter cohærentia, facienda, veluti ob onera sic dicta feudalia, quia hæc ipso jure feuda ita afficere dicuntur, ut ob ea distractionem dominus directus detrectare nequeat. Idem cit. tr. & loc. BERLICH. P. 1. Concl. 82. n. 22. CARPZOV. P. 2. C. 46. def. 26. Sic in ejusmodi feudis, quæ Vasallo instar allodii, zu einen rechten Allodial-Erb-Guth, sunt concessa, vel alias vi pacti vel consuetudinis simpliciter sunt alienabilia, quin executio in ipsam substantiam, utroque casu, citra Domini specialem consensum, jure fieri queat, propter generalem alienandi licentiam Vasallis competentem, nullus plane dubito. Dn. MENCKE Disp. ad Proc. tit. 40. §. 2. p. 611.

### §. XXV.

Ordinem autem & formam exequendi iudex executor sub pœna nullitatis si quid neglexerit, ad amissim observare debet. Nec enim per saltum & confuse, sed gradatim, & justo ordine est expedienda, scil. si Vasallus ex causa feudali conventus feudo v. g. privatus & ad restitutionem condemnatus fuit, exmissione & respective immissione sola opus esse, res ipsa loquitur. Sin vero ex causa non feudali veluti propter debita feudalia vel non feudalia executio in ipsum feudum peragenda, post immissionem, subhastatio, licitatio & adjudicatio requiritur. De quorum actuum executorum forma & expeditione ordinationes Processuum videri possunt, illos enim singularim heic

heic proponere nostri non est instituti, eoque minus necessarium esse ducimus, cum plerumque idem modus procedendi, qui in allodialibus obtinet, & in executionibus feudalibus, nisi in casibus sigillatim hoc vel illo loco exceptis, locum habeat. Confer. *O. P. S. R. ad tit. 40. §. 1. in f. ibi*: Und wird im übrigen mit der Subhastation und Adjudication auf Aeth und Weise, wie bereits vorher verfahren, verfahren.

§. XXVI.

Adjudicatione peracta, creditor non prius in foris Saxonis consequitur dominium utile, quam resignatio ejusdem a Vasallo debitore facta est, de cujus modo & tempore quid *Ordinat. Elect. Sax. veteri* cautum, ex ejusdem §. 4. tit. 40. constat; id quod tamen ad præscindendas varias ambages in *Ordinat. Recogn. §. 2. ad dict. tit.* laudabiliter est immutatum, ita quidem, ut ejusmodi resignatione dominii utilis ex parte Vasalli post adjudicationem plane non sit opus, quin potius illud cum ipsa adjudicatione ipso facto, pro resignato haberi debeat.

§. XXVII.

Executionem utut legitime contra Vasallum peractam creditoribus, potiori jure gaudentibus, plane esse innoxiam, ipsa naturalis conducet ratio. Ex quo confit, quod ita immissus priori & potiori creditori feudum cedere teneatur, & ille absque peculiari processu expelli queat. *CARPZ. de Oner. feudal. Vasall. dec. 5. pos. 2. n. 3. seq.* idque de jure communi propter pignoris individuitatem *L. 65. ff. de Evict. L. 2. C. si un. ex plur. hered.* indistincte, etiam si prædium feudale ita sit comparatum, ut utrique creditori ex illo fieri queat solutio, obtinet *L. 2. C. qui pot. in pign. junct. L. 1. C. eod.* At vero Jure Sax. Elector. si inter priorem creditorem & immissum posteriorem de certa feudi portione, ex qua ille satisfieri sibi velit, non conveniat, arbitrio judicis relinquitur, moderatio, quatenus immissus anteriori creditori cedere debeat, vel non debeat. *Ord.*

*Proc. tit. 40. §. 5. & hoc sancitum Electorale Saxonicum, cum sit Juris Civ. correctorium, merito ad feuda sola restringi, & in allodialibus generali Juris Civ. dispositioni inhæreret ex BERLICHIO & ZIEGLERO optime observavit B. Dn. MENCKE ad Proc. d. t. p. 623.*

§. XXVIII.

Neque porro executio feudalis sive in proprietatem, sive fructus feudi facta fuerit, agnatis & simultanee investitis præjudicio esse poterit, si ipsi in debitum Vasalli consensu Domini munitum, haud consenserunt, quia de debitis a Vasallo defuncto contractis non aliter, quam si vel feudalia fuerunt, vel in non feudalia consenserunt, tenentur. *II. F. 25. Conflit. Elect. 46. P. 2.* Et quem admodum nihil refert utrum ejusmodi consensus expressus, sive tacitus fuerit, qualis exinde satis quidem aperte colligitur, si (1) agnatus vel simultanee investitus ad consentiendum a Vasallo fuit vocatus, (2) actui oppignorationis ipse interfuit, & (3) instrumentum oppignorationis, cui clausula de consensu ejus interposito est inserta, prælectum, lubens & citra contradictionem subscripsit; arg. *L. 30. ff. de V. O. L. 8. §. 15. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. L. 26. §. 1. ff. de pignor.* Ita e contra, si hæc momenta deficiunt, & simultanee investitus vel agnatus v. g. Contractum solummodo, qua testis requisitus, subscripsit; vel si in actu oppignorationis fuit præsens, & tacuit, exinde consentiendi intentio nequiquam colligi, nec per consequens executio in prædium feudale tali casu eidem nociva esse poterit. *CARPZ. L. 5. Resp. 3. n. 12. §. P. 2. C. 48. def. 6.*

§. XXIX.

Quodsi etiam contingat, quosdam cognatos vel simultanee investitos Vasallo feudum oppignoranti consensum suum præbuisse, quosdam vero non, pari modo his, qui non consenserunt, sive ejusdem sive disparis gradus vel numeri sunt, reliquorum consensus nocere non potest;

cum alteri per alterum iniqua conditio inferri non debeat. Cujus consequens est, ut illi, qui non consenserunt, si successio Vasallo debitore ejusve filiis mortuis ad ipsos devoluta feudum repetere possint, nec debitum, pro quo illud fuit oppignorum, salvo tamen creditori contra heredes allodiales regressu, *Corp. Jur. Sax. p. 483.* solvere debeant. *II. F. 30. BERLICH. P. 2. Concl. 51. n. 48. Ord. Proc. Sax. tit. 40. §. 6.* Executio enim ita peracta eo usque saltem subsistit & valida est, quousque Vasallus debitor, ejusve filii, quos factum patris semper prestare oportet, vivunt, feudumque a simultaneè investitis vel agnatis non revocatum. *Ord. Proc. Saxon. d. l.*

## §. XXX.

Revocationem autem ejusmodi feudi agnati s. simultaneè investiti mediante actione revocatoria s. vindicatione peragunt, quæ realis est & perpetua, agnatis vel simultaneè investitis, qui in oppignorationem feudi non consenserunt, delata ipsis successione feudali, competens, contra quemcunque feudi possessorem, ad illud cum omni causa, citra pretii refusionem restituendum. *I. F. 3. II. 26. §. Titius &c. STRUV. S. J. F. cap. 13. §. 17.* Perpetuam dixi illam, cum ad triginta annos a momento delata successione computandos & in Saxonia *31. annos 6. septim. & 3. dies* duret, qui terminus tricennalis in Jure Feud. aliis juribus amittendis regulariter præfinitus. *STRUV. c. l. §. 18.* Sed cave, *Jus hoc revocandi cum Jure Retractus*, quod usu vulgè etiam *Jus Promissos* appellari consuevit, confundas. *Jus enim Revocandi* (1) in omni alienationis feudalis specie, sive lucrativi, sive onerosi tituli vid. *II. F. 9. §. 1.* *Jus vero Retractus* in alienationibus saltem onerosis, quæ fiunt pro pretio, *II. F. 26. §. Titius*, in lucrativis vero plane non obtinet. (2) *Jus Revocandi* agnatis & simultaneè investitis sine refusione pretii, *Jus vero Retractus* iisdem non aliter quam cum refusione pretii datur. (3) *Jus Revocandi* post mortem demum Vasalli alienatoris, & delata agnatis successione; *Jus Retractus* vero Vasallo alienatore adhuc vi-

venet

vente & successione nondum delata ex solo jure proximitatis, exercetur. (4) *Jus Revocandi* ad 30. annos locum habet, *Jus* vero *Retractus* in casu venditionis voluntariæ ad annum, in casu vero necessariæ venditionis, quæ fit per modum executionis sub hasta juxta *O. P. S. R. tit. 40. §. 3.* ad terminum licitationis, pro impedienda adjudicatione durat, adjudicatione vero facta in totum cessat. (5) *Jus Revocandi* agnatis vel simultaneè investitis in alienationem Vasalli consentientibus non competit *supra §. XXVIII. arg. II. F. 39.* *Jus* vero *Retractus* iisdem tum etiam, quando in oppignorationem & alienationem consenserunt, conceditur; siquidem per ejusmodi consensum generalem ad oppignorandum & alienandum agnatus *Juri Retractus* renunciaffe neutiquam creditur. B. Dn. MENCKE *ad Ord. Proc. tit. 40. §. 21. p. 634.*


## §. XXXI.

Plura in medium proferendi materiæ quidem dignitas postulare & amplitudo, sed ut abruptam, finemque dissertationi meæ imponam, temporis institutique mei, quod brevitatis studium exigit, me jubet ratio. Faxit D. T. O. M. ut tantillus hicce labor ad ipsius gloriam, meique & proximi vergat utilitatem.









(X228. 2285)




1729, 56

TOBIAE IAC. REINHARTH,  
ICTI, SACR. PALAT. CAES. COMIT. IVRID. FACVLT. ASSESS.  
ET PROF. COD. PVBL. ORD. CIVITAT. SYNDIC.  
ET CONSVL.

DE EO,  
QVOD CIRCA  
EXECVTIONEM  
IN BONA FEVDALIA  
IVSTVM EST,

Oder:  
Von Vollstreckung der Hülfe  
in Lehn-Güther,

1729/1726



IENAE, REC. LITTERIS RITTERIANIS,  
M DCC XXXV.

